Laurea lauri Aboensis qvam ... diribitor honorum, ... dn. m. Daniel Achreli...

Jahnsonius, Matthias

1 Ic 1688 Tolpo, Simon

KUNGL. BIBLIOTEKET
National Library of Sweden

56

LAUREA
LAURI ABOENSIS

qvam

JOVA JUVANTE,

MAGNIFICO RECTORE

Viro Excellentissimo & Amplissimo,

DN. M. SIMONE TÄLPG/

Logices ac Metaphysices Professore longè celeberrimo;

Totiusque Amplissimi Senatus Academici suffragio:

DIRIBITOR honorum,

Amplissimus atque Præclarissimus

DN. M. DANIEL ACHRELIUS,

Eloqventiæ Professor Dexterrimus.

Pereximio ac Doctissimo Juveni-Viro

DN. HAQVINO WAGNG/

Die 26. Julii, 1688. anni, legitimis ceremoniis obtulit.

ABOÆ,

Impr. apud JOHANNEM L. WALLIUM, A. T.

55 1688

Qvi ambit honores in Philosophia summos, & ad altissimum doctrinæ fastigium tendere satagit: Illi non vacat, longum temporis intervallum, peramœno familiarium ac patriotarum expendere consortio; multo minus animum literis saucium, inhonestis colloqviorum generibus oblectare: Siquidem tale pharmacum salutiferum, qualis ægrimonia, omninò petendum. Qvemadmodum â scorpiis icti, nullo alio sanantur medicamine, qvàm, quod ab ipsorum corpore desumptum; ita studiis arctissimè consecrati, neutiqvam faciliori ingenioque suo magis expeditiori Curantur medelâ, quàm bonis & honestis literis, undè & ingenii vulnus cepêre. Inter illos omnes haud immeritò, Clarissimum Dn. HAQVINUM WIJSING/ relatum vult ipsa veritas ac hodierna hora, qvi inde â lacte materno, inclyta Musarum castra summo sectatus pervigilio, nullis laboribus nullis difficultatibus, nullis detrectatis ærumnis, in stadio rectà cucurrit laboris, ut illud brabeum consequeretur honoris, quod usitatis in musarum palæstrâ ritibus, splendidus nunc capit atque coruscans. Vitæ ejus cursus hic fuit, quod nec ad dextram declinaverit, nec ad sinistram; Sed medium beatorum tenuerit, ad illud Poëtæ: Altius ascendens cœlestia tecta cremabis: Inferius terras, medio tutissimus ibis. Et qvamvis tot gratantium voces, tot voventium vota, quot sua sibi obstrinxit studiorum maturitate, mihi non satis commodam, Charissimo meo præceptori, recentes, sibi ab iis, qvorum interest, addictos honores, gratulandi ansam relinqvere videantur, meque non multo negotio â scribendo deterrere possent, quòd minus florido & non pomposis verborum phaleris fluido, aut terso stylo utar. Tamen magnam, qvæ mihi hinc hodiè allata sit, voluptatem, quod præceptorem, Optimum Magistrum videam creari, silentio involvere, nec possum, nec volo, quin ipsimet lauream hanc, ut possum, congratuler Phœbeam; quæ ipsi exantlatos ob labores, & maximam omnibus doctrinæ partibus adhibitam operam, non injuriâ, sed meritò; cum maximo bonorũ omnium applausu oblata. Qvanta dona â Deo mortalibus sint concessa, quanta beneficia in nos homines â summo numine collata, verbis satis appositis exprimi nequit; cum nedum quidem arcana divina qvisqvam introspexerit. Qvanta verò sit cœlitùs delapsa beneficentia in sinum

J. F.

in sinum præceptoris ac informatoris mei adhæc & nunqvam non dilectissimi, post pauca mihi valedicturi, honores, ubi jure summo nunc capessit Magisterii, id quisq; suis potest perspicere oculis. Studia enim ut ut intolerabilia, difficilia, gravia, arduaque sint: nam per ardua itur ad astra) tamen istam difficultatem omnem, jam in ipsa dudum devicit pueritiâ, quæ primis ætatis suæ annis grandi qvidem conatu est renixa; sed cum ad viridem juventam, Deo benedicente, perventum est, omnes molestiæ decrescere visæ sunt. Ac licet bonæ mentis gravissimus carcer ipsa paupertas in studiis invigilandis, quæ eò auspicatiùs succrescerent, si media suppeterent iis perficiendis atque feliciter exeqvendis; Verum ut illud paupertatis epitaphium, qvod hisce complectitur carminibus Juvenalis: Nil habet infelix paupertas duriùs in se; Qvam quòd ridiculos facit. Et paulò post. Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. Sic semper tamen est obluctatus & prosperè hodietenus. Et utut studia atq; liberales artes, tum tentationes variæ, tum invidia gloriæ comes concomitentur & odium. Illis noster tantò fortior fuit, invidis invidiam semper pariens meritam, ut verè profecto dixit Græcus ille: τοῖς γὰρ δυςυκήσασιν ἔλεος. τοῖς δὲ κρατήσασι φθόνος ἀκολουθεῖ. h. e. infelices misericordia, potentes invidia seqvitur. Atque inde se frangi non permisit. Nam vincuntur singula per fidem in Deum veram, & rerum præsentium atq; futurarum sedulam meditationem, studio interrupto addito, in cujus rei fidem, non alium proferam, quam præsentem Clarissimum Candidatum, solenni pompâ jam factum Magistrum. Ille enim fractis molestiis qvibusvis, triumphat nunc de suis adversis, lætatur apprimè, qvum vidit naturam hanc virtutis esse, ut laborum incommodum demùm bonorum multitudine repenset. Euge! quàm grande hinc dimanat gaudium! Vah! quàm insignis hinc profluit lætitia! Hanc itaque ob causam patriam ejus præstantissimam mirifica capit voluptas, quod illustre Lyceum Abodicum, Magistrum sibi omni ex parte condonet Doctissimum. Ob prosperrimos quosq; Musarum triumphos, & maximam Clarissimi filii gloriam, splendorem nominis, fulgorem ominis, lætitia ac magnis in gnatum dilectissimum diffusionibus exultant parentes honoratissimi, dùm tanto gaudio animus illorum attollatur. Solatio sibi hoc destinato ab Altissimo rerum quarumcunque statore ac arbitro Deo, fratres ac sorores, cognati summopere lætantur Charissimi;

acjubi-

ac jubilant probi ac cordati omnes; Hinc patriæ propullulat spes. Hinc reipublicæ oboritur salus, dum Clarissimus Dn. Magister HAQVINUS Wijfing/ eruditionem insignem ac raram Aboâ redux, in patriam dulcissimam felix transportat: quâ ut & ceteris animi dotibus insignibus multos simplices, & doceri adamantes in rectum cum Deo, deducet tramitem. Hoc tàm notabile Camœnarum donum, summique Jehovæ munus permagnum, O solum natale! grato pectore ac devoto jugiter animo, etiam manu excipe beneficà, receptum in tristegas & domicilia perhonestata, bene humaniterque tractes, ritè curam ejus habeas, conscium optimè, hunc Magistrum Meritissimum, lucem tibi addere ineffabilem, & apud te, veluti astra nocturno tempore, collucere, nec non inter doctos ceu gemmas vestimentis internitere, splendere virtute, qvibusvis etiam moribus bonis ac egregiis ditatum, instar cerei in amplissimi cujusdam palatii meditullio positi, undiquaq; refulgere. De cetero vota fundo devota, ut astripotens ille Deus, Clarissimum Dominum Magistrum, præceptorem meum desideratissimum, summopere à me semper adamandum, tandem horum terrestrium saturum ac provectæ quietæque ætatis plenum, ad cœlestia traducat palatia, habitacula æterna, ibi perennes sibi cantaturum hymnos, & angelica modulaturum trisagia conspectu coram divino. Officia, quæ à me unqvam provenire qveunt, citra ullam loci temporisve intercapedinem, Clarissimo Dn. Magistro, continue & continuo paratissima prostabunt atque promptissima. Salve illustre juvenum in palæstrà literariâ diligentissimorum decus! Salve Camœnarum cultor impiger! Salve nitidissimum virtutum omnium speculum! Salve Clarissime Domine Magister & perdiu vale! mihiq;

Amantissimo tui discipulo, non minùs charitatis & debiti officii, quàm honoris ac gloriæ ergò, hæcce pauca infucato ex animo relinquenti, ubivis fave

MATTHIÆ JAHNSONIO, Weck. Wiburg.

J. F.